Cracov. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1675 die 19 Octobr.

Jarosławski Joan. Cyrilli: Trophaeum virtutis et doctrinae aureis Academiae sceptris in crucem dispositis purpuream Miechovien-sem Crucem mutuo foedere coniungens.

na egz. w dubl. notatka o autorze:
„Obiit Plebanus Gradiscensis
Anno 1694"

TROPHÆVM
Virtutis & Doctrinæ,
Aureis Academiæ Sceptris in Crucem dispositis,
Purpuream Miechouiensem CRVCEM mutuo fædere
CONIVNGENS.
VV.DD. VII. Primæ Laureæ Candidatis
DVM
In Alma Vniuersitate CRACOVIENSI,
PER
Clarissimum & Excellentissimum Dominum,
D. M. BASILIVM OLSZYNSKI,
Philosophiæ Doctorem, Collegam Minorem, Linguæ Græcæ Ordinarium PROFESSOREM.
In Nobilissima Illustrium Hospitum Corona;
Artium & Philosophiæ Baccalaurei
RITV SOLENNI RENVNTIARENTVR.
Amoris & Gratulationis ergò.
A
Fr. IOANNE CYRILLO IAROSŁAWSKI,
Ordinis Canonicorum Regularium, Sanctissimi Sepulchri Hierosolymitani Conuentus Miechouiensis Professo.
Eiusdem Laureæ CANDIDATO,
DEDICATVM.
Anno Salutis 1675. Die 19. Mensis Octobris.

CRACOVIÆ,
Typis VNIVERSITATIS.

In Stemma
ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI,
COADIVTORIS.



Clara triumphantûm trabeis, heroa bipennis,
Martis Sarmatici Nobile semper opus.
Maxima continuis æquauit sæclâ Trophæis,
Prisca Senatorum gloria priscus honos,
Sub CRVCE purpurea nunc cælo militat; vtquê
Tota Deo sacra sit, diligit arma Dei,
Stemmata sic auxit victricia, nam decus omne
Vincet in hoc signo, purpura sola CRVCIS.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO,

D. PETRO

COMITI DE PILCA

KORYCINSKI,

Præpoſituræ Generalis MIECHOVIENSIS

COADIVTORI.

Sanctiſſimi Domini Noſtri,

CLEMENTIS

Diuinâ Prouidentiâ PP. X.

Honoris CAMERARIO,

DECANO Pultouienſi, S. R. M. Secretario, &c. &c.

Domino Patrono, & BENEFACTORI

COLENDISSIMO.

H*Eroicum in trophæis opus, non à ſola Gradiui manu, ſed ab ingenijs quoque venit,* Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Domine. *Militiæ decora cruenta ſunt, dum cædes gentium, & calentes adhuc populorum ſanguine manubias ad operum portenta trahunt: ab ingeniorum placido conflictu, dulces & ſine noxa veniunt triumphi; quorum coronæ ob alienum ſanguinem non erubeſcunt; ſudorem proprium, in frontibus coronatis pro purpura habent. Pacatos quidem animos Sapientia poſcit; ſed mirum eſt quàm in his auguſte triumphet? quàm dignos purpurâ ſpiritus gerat? cùm animorum Sceptra poſſedit. Subijcere ſic, & triumphare mentes innocentis victoriæ genus, trophæum illud habet; quod nunquam ſanctiùs erigitur, nunquam feliciùs durat; quam cùm pietati ſapientia, ſapientiæ pietas ſapit. Pateat tum demum Capitolium omne innocentibus animorum ſpolijs, ſudoreſq; ſuos non erubeſcat in eiuſmodi arcubus & trophæis ingenioſus orbis; ſi victorias eruditæ pietatis publico monumento coronat; cum ex operibus, quæ immortalitatis ſpiraculo viuunt, vnum hoc ſit: quod ſelectiſsimos mortalium trahat, & in oculis Principum habeatur. Non indignum proinde ampliſsimo conſpectu Tuo Trophæum hoc cenſuimus; cui à Virtute & Sapientia decus omne, dum Sceptris & purpurâ micat, tanto nomine inſigniri meretur. Coniungimus hic ſceptra CRVCI vtrumq; inſigne tibi dilectum; ob vtramq; Matrem, à qua prouenit vnicè Tibi dilectam. Almam nimirum Vniuerſitatem Cracouienſem & ſacram Religionem meam: quarum Tu vt amor fieres & delicium, Filius eſſe voluiſti, magno virtutis & ſapientiæ partu, Eccleſiæ Patriæq; genitus in columnam. Vt enim ſplendidiſsimorum Natalium Tuorum par vetuſtas, &*

gloria, eò vsq; per omnes Senatorias, & Ecclesiasticas purpuras in Maioribus Tuis assurrexit; vt Regum Poloniæ in Comitibus de Pilca sanguis fieret: ita & Tu Magno animo Tuo formando Regiam Palladem Cracouiensem elegisti, eo politiori literaturæ profectu, ea cultissimi animi elegantia; quæ digna deinceps habita est, vt ei summa Regum & Orbis Pastorum oracula crederentur. Talem certe ex Illustrissimo *olim*, STEPHANO Comite *de* Pilca KORYCINSKI Magno Regni Cancellario *nasci Te decuit, vt in Te & maiorum Tuorum tota series & Parens ipse disertissimus loqueretur: quæsitoq; per cultissimas Europæ Nationes magno prudentiæ vsu, bono publico saperet & prodesset. Actum id à Te coram Augustis capitibus & in facie Reipublicæ, summa toties cum laude; dum à* Serenissimo *olim* IOANNE CASIMIRO *negotijs publicis adhibitus, ac Regiæ voluntatis ad Ordinem Equestrem toties Interpres, ac Prouinciarum in Maximis Comitijs Legatus Maiestati Regiæ & Patrijs Legibus ita consultum esse voluisti, vt vbiq; insignem Prudentiæ & miræ cuiusdam in obeundis Legationibus felicitatis gloriam referres. Aureum ad id Tripodem hic Delphicum non inquiro. Roma Tibi Oraculum maximum, & supremus Elogiorum, de Te Vaticanus Apex, illo Honoris plenissimo sensu: cum Te inter Camerarios Honoris à* Sanctissimo Domino Nostro CLEMENTE X. *Pontifice Maximo cooptatum, ab eodem, ad* Serenissimum *olim* MICHAELEM Poloniæ Regem, *ea Legatione fungi voluit; in quo Te Rosam, & Gladium benedictum, contra inimicos CRVCIS Christi Principi Nostro deferentem, tantoq; munere gloriosè perfunctum Orbis Polonus suspexit. Eminuit tum animi Tui magnitudo, Eloquentiæ dignitas, spectatissimum in rebus agendis iudicium, dotesq; illæ, quibus tu summa omnia mereris; vt optime sanè* Illustrissimus & Reuerendissimus Patruus Tuus ALBERTVS Comes de Pilca KORYCINSKI, Archiepiscopus Leopolien. Præpositus Generalis Miechouiensis *censuerit: qui Te in* Coadiutorem *suum eligens omnium honorifica de Te iudicia confirmauit. Submisisti & Tu heroicum animum Tuum CRVCI Nostræ Purpureæ, imò eam supra omnes purpuras æstimans, hoc insigniri Trophæo voluisti; vt à Diuini Stemmatis Augustissimo ornamento Gentilitiæ Asciæ Tuæ splendores adaugeres. Securam proinde gratiæ, quia rem Tibi dilectam, in hoc Virtutis & Sapientiæ* Trophæo, *Religioso pariter, & Literato cultu ad Te deferimus. Vt enim Fasces literati à CRVCE non seiuncti, ita & CRVX ab his non diuisa conuenientius alibi deponi non potest; quàm in sinu Tuo, ad quem sacra omnia decora confluunt; vt faueas vtriq; ea gratiâ & protectione, quâ Musas Academicas & Ordinem Nostrum complecteris. Id Tibi communi omnium Nostrum voto comprecante, vt Religionis, & literarum honos in Trophæo gloriæ Tuæ, quàm felicissime assurgat.*

Illustrissimæ & Reuerendissimæ Dominationis Vestræ

Cliens humillimus

Fr. IOANNES CYRILLVS IAROSŁAWSKI,
Conuentus Miechouiensis Professus,
Primæ Laureæ Candidatus.

MAGNO
SCEPTRORVM ACADEMICORVM
PATRONO,
ZELANTISSIMO
PVRPVREÆ CRVCIS CHRISTI
AMATORI

D. IOANNI CANTIO,

Ode Votiua.

FÆdus æternum canimus, quod auro
Purpuram iungit cruce conſecratam
DIVA quo Pallas ſapienſq́; virtus,
Iure triumphat.
Aureis nemo decorata SCEPTRIS,
Regna poſſedit, niſi qui beatæ
Sub CRVCIS ſigno, meruit coruſcos
Sumere faſces.
CRVX triumphorum ſeries; nec vnquam
Itur ad Regnum ſapiens, recuſat
Si pati Virtus, nec ad alta pectus
Sudat anhelum.
Norma Virtutis, Sapientiæque
Diue tu nobis Pater extitiſti,
Fædus hoc ſacrum dedit innocentis,
CRVX Tua vitæ
Aurei per te meruêre faſces
Dulce fulgoris iubar eruditi,
Quo triplex ſeclûm radiante claret
Lumine Phæbi.
Sed CRVCEM fidus labor, & cruentis
Purpuram ſignat meritis rubentem:
Hoc iter nobis tua ſanctitatis
Gloria fixit.
CRVX tibi dulces epulas amoris
CRVX tibi nectar ſapidum; labores
Sola CRVX Chriſti, Cathedraſq́; fecit
Hæc tibi dulces.
Imus exemplo Patris ergo noſtri
Subq́ue victrici CRVCE Laurearum
Sternimus nexum, tibi conſecrato
Diue trophæo.

CLARISSIMIS
ET EXCELLENTISSIMIS DOMINIS,

DD. EXAMINATORIBVS.

Clarissimo & Excellentissimo Domino,

D. M. BASILIO OLSZYNSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Minori, Ordinario Linguæ Græcæ PROFESSORI.

ac interea

Philosophicæ Facultatis

DECANO.

Clarissimo, & Admodùm Reuerendo Domino,

D. M. FRANCISCO PRZEWOSKI,

Collegæ Maiori, Canonico Sanctæ Annæ, Regio & Vladislauiano Cursûs, ac Hebraicæ linguæ ordinario PROFESSORI.

Excellentissimo, ac Doctissimo Domino,

D. M. FRANCISCO KACZOROWICZ,

Philosophiæ Doctori Collegæ Minori.

Gratitudo Lyrica.

AD summa rerum per Sapientiam
Iter beatum, poscit in arduo
Curas laborantum; graduq;
Magnanimo per inhospitales
Vadit recessus. Gadibus vltimis
Ponens columnas, Herculeæ manus
Opus stupendum. Litteratos
Non licuit tenuisse fasces
Dextrâ otiosa; nec pede languido
Heroa Virtus, culmina gloriæ
Conscendit; immortale fœdus
Sceptra CRVCI sociata iungunt.

Securus

Securus ille est, purpureo rubens
Honos in ostro, qui meruit diu;
Nec sceptra tam gemmis refulgent,
Quàm trabeas riguo togatas,
Sudore pingit continuus labor,
Calensq; virtus. Hoc meritis tuis
Cedit trophæum purpuratâ
Veste rubens, simul & fideli
Labore partum, per Cathedras Sophûm;
Quibus supremo vertice præsides;
Virtutis OLSZYNSKI *togæq;*
Arbitrio decus erudito,
Tibi Facultas credidit inclyta.
Tu dignitati fers animum parem;
Cursusq; Vladislauiani
Post operam, regimen Sophorum
Fido Cathedris pectore sustines;
Fontesq; linguæ Iessiacæ Sacros
Curaq; felici, vetustos
Graiugenum penetras recessus.
Tui sed ingens gloria nominis
Toto, PRZEWOSKI *poscit Apolline*
Dici; Cathedrarum Stagiræ
Tu columen, tripliciq; cursu
Inuictus, & tot purpureæ togæ
Cum laude summa, functus honoribus
Flos disputantum es, quem coronat
Nobile pectus & eruditum.
Os Tullianum, KACZOROWICZ *tibi,*
Et eloquenti nectare condita,
Dulcedo suadæ grande nomen
Ingenio tulit eleganti.
O quàm togatis mentibus influis
Suauis Orator! super exedras!
Quando Iagielonas triumphans
Flexanimam retulisse palmam,
Tot audientûm visus es ordini.
Sic omnis in Vos gloria, sic decus
Redundat omne & Gratiarum
Iustus honos, capita alta, Vestræ
Ambit coronæ. viuite maximo
Rei Polonæ per Cathedras bono;
Fascesq; cedant Laureati,
Purpureæ CRVCIS *in triumphos.*

TROPHÆVM
Virtutis & Doctrinæ.

I. V. & R. D. IOAN: CLEMENTI KAWALCZEWSKI,

Canonico Regulari Sanctiſſimi Sepulchri Hieroſolymitani Conuentûs Miechouienſis Profeſſo.

PVrpurei cedit tibi gloria prima trophæi
Docte KAWALCZEWSKI, Sub quo cõmunia tecũ
Me quoq; vota ligant, ſacro donata SEPVLCHRO.
Militat hoc pietas ſub ſigno maxima victrix;
CRVX in Academicis inuicto robore ſceptris
Vincit, & auguſto ſapientia fulget in oſtro.
Felici hoc nexu Miechouia ſemper adhæſit
Altè Craciados Muſis Regalibus, vno
Pignore conſocians cariſſima pectora, totque
Coniungens animos, quot laurea ſceptra rubentem
Ambiuêre CRVCEM. Tua ſic feliciter iſto
Fœdere, Virtutis doctæ præſtantia gaudet;
Naturæq; bono data munera perficit inter
Palladios cætus. Ne pulchris dotibus in te
Sedula mens, ſoliduſq; labor, conſtanſq; deeſſet.
Ergo triumphali Laurum coniunge trophæo;
Te ſacer Heròëm factis inſignibus Ordo
Te ſapiens habeat Cathedrarum gloria dignum
Fronte coronatâ Myſtam: cui plenius olim
Relligionis honos, ſacrâ fulgebit in auge.

II. V. D. BALTHASARO BONAV: *ROP DE LAZY.* ZARSKI,

NObiles cunas, generoſa Virtus
Iuncta doctrinæ, melius coronat;
Sanguinis non eſt decus vniuerſa
Gloria vitæ.

Dona fortunæ, rapidi feruntur
More torrentis; manet æuiternum
Quod dedit Virtus ſapiens, fideli
Nixa labore.

Et tua

Et tua ZARSKI placuit iuuentæ,
Additum Ceris, decus hoc Paternis,
Quod tuis partum meritis, auitos
Auget honores.
Ingens palmam studio referre;
Cum Viris Doctis sapere, & togato
Posse censeri numero, decorum
Iure putasti.
Sic honos creuit geminatus in te
Indolem cultam generosus ardor
Sic ad illustrem feret erudito
Tramite famam.

IV. V. D. MATHÆO CASIMIRO KOSTRZYCKI,

MAturis animi dotibus, elegans
Si cultus veniat Palladis inclytæ
Magnos sæpè Viros reddit honoribus
Doctis ingenio pares.
Multis Icario cerea spiritu
In sublime volant pectora, sed citò
Languescunt. Sapiens Dædalus impetum
Pennarum volucrem regit.
Ætas iudicium quod tibi contulit
KOSTRZYCKI, placidæ fræna modestiæ
Constantisq; animi, cum studio gerit
Morum compositum decus.
Hoc est quod nimios non habet impetus
Sedatosq; facit. Nam sapientiæ
Fructus maximus est, imperium sui
Et constantia pectoris:
Illi sedulitas in studijs comes,
Te cordis faciet magnanimi Virum
Dignum, cui regimen nobile mentium
Pubes Lechica debeat.

V. V. D. IOANNI STEFANSKI,

EXimij sequeris vestigia clara Parentis,
Dum tibi Palladius Vertice floret honos.
Exemplo docuit tanto sapuisse STEFANSKI
Quod tibi formauit Pallas amica Domi.

Felices animi quibus est concessa facultas
Discere, maiorum quod monumenta docent
Quod virtus loquitur, quod singula moribus acta.
Præcipiunt, speculo quod meliore nitet.
Ægyptum petiêre alij petière Pelasgi
Per mare per terras dogmata clara soli.
Audiuêre graues Latio spectante Catones
Et quidquid doctum cultior orbis habet
Omnia sunt alijs præstò virtute Paterna
Si modò complaceat, quæ bona, velle sequi.
Hæc fortuna tibi data cælitùs excitat omnem
Virtutis stimulum perpetuoq; monet:
Vt decus hoc paribus meritis tuearis amesq;
Quod dilexisti, nobile dogma sophûm;
Prouehet hoc studium te celsius, atq; paterno
Ad summas laurus, te dabit ire gradu.

V. V. D. IOSEPHO CONSTANTINO CZACHOWSKI,

FAsces togati, quod CRVCIS aureæ
Exempla forment; mens generosior
Terretur haud vnquam CZACHOWSKI
Dulcis enim labor eruditos
Fructus amanti; nec cruciant graues
Curæ sophorum, si Sapientiæ
Spectetur immortale nomen,
Gloria si meritis parata
Quam sit perennis, mens bona cogitet:
Hoc calcar in te pectoris optimi
Videmus vt perplexa rerum
Ingenij bonitate vincis:
Vt eloquentum dulcor amabilis
Oris diserti Nestora te facit:
Dum nulla Virtutem fatigat
Cura operis; sed honesta semper
Maiore laudis spirat anhelitu
Tuliteratis mentibus additus
Honoris ornamenta cæpti
Dotibus egregijs adauge.

VII. V.D IO-

VII. V. D. IOANNI PANKOWSKI,

SEptenus numero te locus impari
Censeri voluit. nempè laboribus
Quæsitam, decus est, ferre coronidem,
Septenisq́; datas artibus, in suo
Laurus Palladias claudere termino.
Nil est, ingenijs quod locus auferat,
Clarum si iubar est, lucida non tegit
Ornamenta Viri. sidus id aureum,
Quod quocunq́; loci fulgurat ordine.
PANKOWSKI studium te feret altius,
Cuî tu per Cathedras inuigilas Sophûm
Clarebisq́; magis, quo magè propriæ
Formas locis opus. Stoa quod abdidit
Arcanis laribus, luce sub omnium
Consecrare tuis perget honoribus.
Ergo clauditur hic purpureæ CRVCIS
Sceptrorumq́; iubar Palladis aureum
In te quod sociat pectus amabile
Septenisq́; nitens viuet adoreis
Consignata tuo nomine gloria.

III. V. & R. D. IOANNI CYRILLO IAROSLAWSKI,

Ordinis Canonicorum Regularium, Sanctissimi Sepulchri Domini Hierosolymitani Conuentus Miechouiensis Professo. Authori operis.

Primæ Laureæ CANDIDATO,

Mutuum grati pectoris Symbolum, amoris & gratulationis ergò testatur:

BALTHASAR BONAVENTVRA
ROP DE ŁAZY
ZARSKI,
Eiusdem Laureæ Candidatus.

A Ram cum Musis vnâ qui sede locauit
Hunc ab vtrinq; beant, commoda multa virum.
Non aliter quàm dùm concurrunt flumina secum,
Lympharum semper copia maior adest.
Ditior est alijs plures qui possidet agros,
Et binum robur fortius esse solet.
Sic cui complacuit Musis connectere Sacra,
Hic magis vnitâ prosperitate viget.
Auriferis quidquid Lymphis fert Hebrus & Indus
Cum gazis Cræsi, labide pignus id est.
Per Musas arasq; simul quod floret amænè,
Floret idem seclis, firmius atq; manet.
Quæ duo dùm socias, donum complecteris amplum,
Cum CRVCE purpureâ laurea serta gerens.
Indè venit clarum IAROSŁAWSKI tibi nomen,
Indè nouum surgit per noua serta decus.
Relligione sacrâ non sufficit esse coruscum,
Addis luminibus lumina docta tuis.
Cumque tibi niueum teneat sapientia pectus,
Et maneat cordi cùm pietatis amor.
Cùmque Patrum teneas Vestigia clara tuorum,
Sub CRVCE purpureâ qui sapuêre Deo.
Dignus es vt sacri pulcherrima dona trophæi;
Et doctæ referas laurea serta Togæ.
Et quia tu nostras ornasti carmine laurus,
Reddimus ergo tuis, carmina carminibus.

SVB FELICIBVS AVSPICIJS,
Magnifici, Perillustris, & A. R. Domini,

D. M. SIMONIS MAKOWSKI,

Sacræ Theologiæ Professoris, Collegæ Majoris, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI Canonici, S. R. M. Secretarij, Almæ Vniuersitatis Academiæ Cracouiensis Generalis, & vigilantissimi

RECTORIS.